Quaestio medica Cardinalitiis disputationibus agitanda, In Scholis Medicorum, die Jovis proxima, 19 mensis Martii Praeside M. Philippo Harduin de St. Jacques.

An affectus Animi Res non naturalis?

Prouida et consultrix utilitatum nostrarum natura partibus nostris duos ingenuit appetitus, unum ~~ille~~ quo illud quod secundum naturam est appetitur, contrariumque declinatur: alterum qui in amouendis iis quae priori incomodant positus est. Membra quae potius à natura, quam ab anima reguntur, hos etiam motus partium et cavitatum suarum distensione et amplificatione, aut earundem contractione et diminutione factitant. Priori modo in viis grata admissa, et facilius et promptius admittantur, aut post ingrata introductionem, impeditamque eius depulsionem, ut ipsis minimum sui particulas singulas attingat. Posteriori modo in vias ingrata occursus est ab ingressione arceatur, aut intromissa alterius motibus extrudatur, aut grata suscepta artiori amplexu contineatur. Hinc περιστωματικὰ νοσήματα, & ρευματικαὶ διαθέσεις, et aqua calidior cutis meatus cogit, constringit et dissipat, tepida vero et stupefacta corde remittit dilatat et laxat.

At in longe maioris admirationem veniunt quae ab imaginatione spiritus motionis fiunt: ut enim caelestes intelligentiae intelligendo hanc mundi universitatem agitant et versant, sic à cogitatione omnes in animantibus sensus et motus: cumque haec facultas sit ἡγεμονική, et superior, inferiores illi tanquam administrae obsecundant. Ab illa insomniorum ludificationes, noctambulorum sopitorum motus, quamvis alteris omnia per intervalla conniveant, φρενῖτις, μανία, μελαγχολία, ἐφιάλτης, ~~[illegible]~~ λυκανθρωπία, & ἔκστασις, in quibus spectra prout vitiose sibi ingignunt*, pluriumque ad sanitatem valet de morbo et medico accepta ab aegro opinio: contumaces enim sunt melancholici affectus, quod omnia sub specie mali aegri sibi effingentes, saepe salutem despiciunt: plurimosque sanat cui plures fidunt.

* Unde plura sunt quae nos exterreant, quam premant, atque saepe pro varia indole [illegible] cogitationes arctior contra acerbissimos dolores [illegible] penitus [illegible]

Ab eadem imaginatione ortum ducunt appetitiones illae, quae à sapientia regia procul deductae, ad hallucinationum, libidinum, et nequitiarum ganeas cloacasque et conspurcata abiectae sunt. Harum primam amorem statuimus, tum desiderium, si bonum absit, spem, si adeptione arduum illud sit, et desperationem si ἀδύνατον. Dum adest atque praesens est, gaudium esse extitit. Ex specie mali primo odium erumpit, huicque dum appropinquat illud, timor et fuga succedunt, at si superabile proponatur malum, insurgit audacia, cum vero praesens sit, ira exardescit, tandemque tristitia. Primo autem educuntur illae quae motum important, secundo quae ab animosa parte exeunt, postremo quae in quiete sitae sunt: ita ut omnes ab ἐπιθυμητικῇ initium faciant, in illamque desinant omnibus autem, atque etiam ipsi odio amor praeit, quia enim bonum amamus, in contrarium suscipimus odium: nullus tamen ab amore pulsus, quamvis ipsum ira, timor, tristitia et gaudium evidentissime immutent, concitent et turbent.

Ferinae autem et agrestes illae animae confusiones graviter et periculose aliquando valetudinem convellunt, si modum praetergrediantur: insolentius enim et confestim sese gaudium diffundens, nimiaque exultantis motione corpus complens, calorem et spiritus dispergit, forasque extrudit, atque interdum tam exhauriuntur ut syncope vel subita morte exanimet. Timor caeco et repentino impetu sanguinis à naturae constantia discedens, subito et afflatim tam acriter calorem spiritus et sanguinem intro trudit, ut partes externae frigore algeant, internae vero et in somno incalescant; calorem enim adeo in angustum contrahit, ut oppressione obruta mollior animula tota concidat et expiret. Tristitia corpus exhauritur, cor exarescit, calor emarcescit, et quem timor derepente non perculit, illa sensim conficit et absumit. Dum ira cumulatione spiritus et sanguinis circa cor aestuant et ebulliunt, tanto incendio interdum exardescunt ut in febrim quandoque corpus agant.

Non parum tamen huiusmodi motiones, si modum et firmitatem servant, ad prosperam valetudinem opportunae sunt. Gaudium namque calorem et languescentem incitat et resuscitat, sanguinem et alimentum ad partes remotiores, cave reficit et restituit, atque εὐσαρκίαν fovet. Tristitia iis quibus attenuandi sunt adipes, quique effusiore gaudio insolescunt et dissoluuntur salutaris est. Timor petulantibus et furore inflammatis utilis. Ignavis vero somniculosis et frigidis irarum ardorem morbis stomachumque facere expedit.

Ergo affectus āi Res non nālis.

Afferebat Lutetiae Ludouicus Bauot Sedelocensis. Anno 1609.